

25 Quem primum interius licuit cognoscere terris
 munere caelestum. quis enim condentibus illis
 clepsisset furto mundum, quo cuncta reguntur?
 29 quis foret humano conatus pectore tantum,
 32 invitis ut dis cuperet deus ipse videri,
 33 sublimis aperire vias imumque sub orbem
 30 et per inane suis parentia finibus astra?
 31 tu princeps auctorque sacri, Cyllenie, tanti;
 34 per te iam caelum interius, iam sidera nota
 35 nominaque et cursus signorum, pondera, vires,
 maior uti facies mundi foret, et veneranda
 non species tantum sed et ipsa potentia rerum,
 sentirentque deum gentes qua maximus esset.
 40 et natura dedit vires seque ipsa reclusit
 regalis animos primum dignata movere
 proxima tangentis rerum fastigia caelo,
 qui domuere feras gentes oriente sub ipso,
 [quas secat Euphrates, in quas et Nilus abundat]
 45 qua mundus redit et nigras super evolat urbes.
 tum qui templa sacris coluerunt omne per aevum
 delectique sacerdotes in publica vota
 officio vinxere deum; quibus ipsa potentis
 numinis accendit castam praesentia mentem,
 50 inque deum deus ipse tulit patuitque ministris.
 hi tantum movere decus primique per artem
 sideribus videre vagis pendentia fata.
 singula nam proprio signarunt tempora casu,
 longa per assiduas complexi saecula curas:
 55 nascendi quae cuique dies, quae vita fuisset,
 in quas fortunae leges quaeque hora valeret,
 quantaque quam parvi facerent discrimina motus.
 postquam omnis caeli species, redeuntibus astris,
 percepta, in proprias sedes, et reddita certis
 60 fatorum ordinibus sua cuique potentia formae,
 per varios usus artem experientia fecit
 exemplo monstrante viam, speculataque longe